

No. 1088. 1467. 14. Mai.

*P. Paul II. fordert den B. Dietrich auf bei der Mitte Juni in Nürnberg stattfindenden Reichsversammlung persönlich zu erscheinen und die wegen des Kriegszuges gegen die Türken zu fassenden Beschlüsse kräftig zu unterstützen.*

Paulus episcopus servus servorum dei venerabili fratri episcopo Misnensi salutem et apostolicam benedictionem. Novit iam tua fraternitas, qualiter alias carissimi in Christo filii nostri Fridericus Romanorum imperator semper augustus et Mathias Vngariae rex illustris pro defensione fidei catholicae et ad resistendum impiis Turchis, qui inexplebili sua dominandi cupiditate non cessant plane singula sibi potissime vicina Christianorum loca invadere et spurcudo imperio subiicere suo ac fidelium animas devorare, ne passim per Vngariam, quod absit, ad Germaniam contiguam porri-gerent, providerunt concordi voluntate et matura deliberatione dilectum filium nobilem virum Vlicum de Graueneck, militari experientia probatum, eisdem imperatori carum ac regi fidum et acceptum in capitaneum et ductorem exercitus Christianorum contra eosdem Turchos eligere, quodque imperialis maiestas superioribus mensibus ob hoc et pro exercitu congregando ac habendis desuper oportunis provisionibus dietam nuper in opido Nurembergensi celebratam, ubi etiam nuntium nostrum habuimus, instituerat, in qua per praelatos, principes et communitates civitatum seu eorum oratores tunc praesentes nonnulla capitula fuerunt concepta et ordinata licet nondum executioni et debito effectui demandata, — pro quorum consummatione et effectuali executione in festo sancti Viti proxime futuro alia iam dieta in eodem loco de proximo celebranda per ipsum imperatorem est indicta. Et quoniam nunc litteris et oratoribus ad nos transmissis certiores facti sumus de optima dispositione ipsorum imperatoris et regis ad hanc rem prosequendam ac de prompto eorundem animo ad ea facienda et complenda, quae sibi imposita susceperunt, iamque regem praefatum dispositum dicto capitaneo nonnulla castra et loca regni sui munitissima concedere velle, per quae tute et absque ulla offensa exercitum ducere per Vngariam nutu suo libere possit, nos etiam quos possumus favores et gratias ad id conferre nequaquam deficiemus, sicut et actu in parte fecimus et dietim facere uberius iuxta possibilitatem non recusabimus. Cupientes itaque in tanta fidei necessitate, quae maior nunc est quam unquam fuit, ut in ipsa futura dieta, ad quam nuntium et oratorem nostrum de voluntate et mente nostra plene instructum mittemus, absque ulteriori dilatione conclusio seu executio capiatur effectualis, fraternitatem tuam hortamur in domino et in virtute sanctae obedientiae requirimus, ut omnino velis statuto tempore in ipsa dieta personaliter interesse, ceteros etiam principes ad hoc inducere, ac una cum nuntio nostro et ceteris ad laudem omnipotentis dei ac salutem christiani populi, quantum potes et vales, promovere ac iuvare effectuaalem et debitam executionem et expeditionem contra ipsos Turchos; multum enim ad hoc auctoritas et praesentia tuae fraternitatis praestabunt, ostendes etiam, quod te catholicum praelatum decet, bonum exemplum ceteris, qui te sequentur et libenter iuvabunt, habebis denique a deo cuius causa agitur divinum